

9<sup>o</sup> Olim episcopi facultatem habebant permittendi ut missa extra loca Deo dicata celebraretur: verum hæc eorum facultas per decretum concilii Trid., sess. 22, supra citati, multum fuit restricta; communiter tamen docetur eos talem adhuc concedere posse licentiam pro determinatis casibus, vel pro aliquo tempore, si justa adsit causa, non magnæ necessitatis, quæ nullam requirit dispensationem, sed difficultatis ecclesiam adeundi, missam alibi audiendi, etc., si aliunde persona dispensatione videatur digna.

10<sup>o</sup> Restrictio igitur a concilio Trid. inducta, de licentia in domibus privatis perpetuo celebrandi aut celebrare faciendi intelligenda est: hæc itaque licentia a solo pontifice Romano obtineri potest, et obtenta, personæ privilegatiæ inhæret eamque semper sequitur. Executioni tamen demandari non potest quin episcopo diocæsano præsentata, ab eo agnita fuerit ut authentica; pro unica missa coram privilegiato celebrata valet, et non aliter: vide *S. Ligorium*, l. 6, n. 359.

11<sup>o</sup> Privilegia hujus generis, quæ nonnulli regulares sibi vindicabant, omnino fuerunt revocata per decretum concilii Trident., sess. 22, ut expressis verbis declaraverunt Clemens XI, Innocentius XIII et Bened. XIV.

12<sup>o</sup> Diu disputatum est an in mari aliquando celebrare liceat: alii affirmabant, alii negabant, et rationes ex utraque parte afferebantur. Sed *Bened. XIV*, de Missæ Sacrif. l. 3, c. 6, n. 11, dicit quod per Sedis apostolicæ proxim omnis sublata fuerit disputatio, et apostolicum nunc semper requiratur indultum, quod non nisi sub illis conceditur conditionibus: 1<sup>o</sup> ut tutum sit navigium; 2<sup>o</sup> ut longe absit a littore; 3<sup>o</sup> ut mare sit tranquillum; 4<sup>o</sup> ut adsit alter sacerdos vel diaconus qui, coorientem motu, calicem manu tenere possit.

§ VIII. — Imagines in ecclesiis.

1<sup>o</sup> Cum in veteri Lege omne sculptile stricte prohiberetur, primi Christiani imagines non colebant, nec in ecclesiis et multo minus super altaria habebant, ubi nec crux diu ponebatur. A statuis et sculpturis maxime alieni erant, non quod judicarent usum earum aliquid mali

exhibere, sed ne contra præceptum Dei agere viderentur, et scandalum præberent Judæis.

2<sup>o</sup> Antiquus tamen mos erat sensibilia objecta, præterita vel absentia, sub figuris exhibere: sic *Tertull.* l. de Pudicitia, cap. 7 et seq. refert Christianos habuisse Christum in calicibus suis, sub figura boni pastoris ovem super humeros suos reportantis, depictum. Sæpius repræsentabatur Christus sub symbolo agni, quia *S. Joannes Baptista* de illo dixerat: *Eccce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Spiritus sanctus adumbrabatur sub specie columbæ, et Pater æternus sub signo vocis de cælo loquentis.

3<sup>o</sup> Vetustior imago in ecclesiâ exhibita, fuit crux sine crucifixo, deinde cum crucifixo, ut probat *Grancolas*. Postea ad ornandas ecclesias et ad fovendam fidelium pietatem, depictæ sunt imagines Christi, B. Mariæ Virginis, sanctorum et sæpe aliorum, honoris causa, v. g., papæ, episcopi, imperatoris. Unde imagines eorum qui in concilio generali sexto damnati fuerant, ex ecclesiis sublatae sunt, ut videre est apud *Fleury*, l. 40, n. 27.

4<sup>o</sup> *S. Greg. Magnus*, in septimo sæculo, docet imagines servandas esse, « ut qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant quæ legere in codicibus non valent. » (*Epist. l. 9, epist. 105.*) In aliis pluribus locis de imaginibus eodem sensu loquitur. Nihilominus consuetudinem profanas imagines in ecclesiis collocandi adhuc viguisse testis est idem Pontifex maximus, qui Phocæ et Leontiae augustorum iconem reponi jussit in oratorio *S. Cæsarii martyris, intra palatium.*

5<sup>o</sup> Quidam, ex majori sensu devotionis erga Christum, B. Virginem Mariam aut sanctos, imagines eorum cœperunt honorare, eas deosculando, ante eas genu flectendo, candelas vel lampades accendendo, thus adolendo, orando, etc. Occasione hujusmodi cultus gravis exorta est controversia in octavo sæculo, ut, in Tractatu *de Incarn.* exposuimus. Ecclesia, in pluribus conciliis generalibus coadunata, definiit cultum sanctarum imaginum esse licitum, et ex illo tempore picturæ et sculpturæ genera-

liores factæ sunt in ecclesiis tanquam ornamenta et pietatis incitamenta.

6° Plures inde, diversis temporibus, nati sunt abusus, modo ex inordinato quæstus amore, modo ex ignorantia fidelium. Summi Pontifices et concilia, v. g., Rhotomagensis anno 1445, can. 7, Coloniense, anno 1452, ac præsertim Trid., sess. 25, Decreto de Invocatione... et sacris imaginibus, eos accurate reprimere jusserunt.

7° Docendum igitur nullam virtutem in imaginibus residere, unam altera efficaciorum vel potentiorum non esse. Omnis tollenda est figura, pieta vel sculpta, deformis, horrorem vel risum potius quam ædificationem pariens, aliquid inhonestum vel profanum exhibens. « Statuit sancta synodus (Trid., sess. 25, Decreto de invocat. sanctorum et sacris imaginibus) nemini licere ullo in loco vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab episcopo approbata fuerit. » Circa imagines Dei, Spiritus sancti, S. Trinitatis, videatur Const. Bened. XIV, *Sollicitudini*, diei 1 oct. 1745.

Omnes statuae et imagines in ecclesiis collocandæ prævia benedictione in Ritualibus descripta sanctificari debent.

Urbanus VIII, Const. diei 15 martii 1642, stricte prohibuit ne Dominus noster Jesus Christus, B. Maria, Apostoli, alique sancti et sanctæ representarentur *cum alio habitu et forma quam in catholica et apostolica ab antiquo tempore consuevit Ecclesia, nec etiam cum habitu peculiari alicujus ordinis regularis.*

8° Ad primas vespertas dominicæ de Passione cooperantur omnes cruces et imagines Salvatoris per ecclesiam, et super altare nullæ ponantur imagines sanctorum. » Cærem. episc. l. 1, cap. 20. Aliæ pariter imagines quæ in ecclesia reperiuntur simul velis violaceis tegi debent, ut ait *Merati*, citans decret. S. Congr. Rit. 4 aug. 1663.

Feria quinta in Cœna Domini crux altaris in quo celebratur missa solemniter, tegi debet velo albi coloris, violacei vero aliæ cruces.

Ex resp. S. Cong. 16 nov. 1649, imagines non discoperiuntur in festis solemnibus tempore Quadragesimæ occurrentibus, ne quidem imago patroni, si festum ejus celebretur.

9° Feria sexta in Parasceve, postquam Crux adoranda ab officiatore fuit detecta, omnes aliæ cruces similiter deteguntur; non vero imagines sanctorum, nisi in sabbato Sancto post litanias, et forsitan melius dum cantantur ultimæ prophetiæ, ut sint patentes dum invocantur sancti. (*Merati*).

10° Apud nos, sabbato ante primam dominicam Quadragesimæ usque ad sabbatum Sanctum, velantur imagines et cruces.

#### § IX. — Reliquiæ sanctorum.

1° Legitimum esse cultum reliquiis sanctorum exhibitum probavimus ad calcem Tractatus de Incarn. Vetustissimus est usus eas solemniter transferendi, in ecclesiis et in altaribus collocandi, venerationi fidelium exponendi, lampades ante eas accendendi, eas thurificandi, etc., ut in pluribus locis testantur *S. Hieronymus, S. Ambrosius, S. Aug., S. Chrysost., Rufinus, Sozomenus, Theodoretus, etc.*

2° Primitus sanctorum corpora e tumultu levare et per partes dividere non licebat: S. Greg. Mag. ab imperatrice Constantina rogatus ut caput vel aliam partem corporis S. Pauli ei mitteret, respondit (*Epist. l. 4, epist. 3*) temerarium fore eorum corpora (Petri et Pauli) non solum tangere, sed vel aliquatenus inspicere. Super ea erigebantur altaria, et novas ecclesias absque reliquiis martyrum dedicari VII concilium generale prohibuit, can. 7, sub pena depositionis in episcopum qui tanquam traditionum ecclesiasticarum transgressor haberetur.

3° Plurima tamen reperiuntur exempla, etiam ante S. Greg. tempora, reliquiarum S. Crucis Domini, catenarum SS. Petri et Pauli, S. Mariæ, id est, vestium ejus vel aliarum rerum quæ ad eam pertinuerant, S. Joannis Baptistæ, S. Stephani, etc. Postea quando sancta corpora

e tumulis levati cœperunt, in pretiosis capsis includi et in ecclesiis honorifice collocari consueverunt, sæpius sub altaribus, et nunquam desuper. Linteamina aliaque objecta ad ea admota, portiones terræ ex eorum tumulis, vel thecarum in quibus exstiterant, vel olei lampadum coram eis ardentium, etc., inter fideles velut reliquiæ dividebantur. Deinde mos invaluit ut ipsa corpora minutatim divisa, inter multos distribuerentur, atque innumeræ ecclesiæ eorundem sanctorum reliquias habere possent, et eas in thecis decenter inclusas, testimoniis authenticis munitas, ab episcopo diœcesano recognitas, super altaria collocari ac publice venerationi exponere liceret. Nullas vero, signis authenticitatis destitutas vel ab episcopo diœcesano non approbatas, cultu publico honorare et venerationi fidelium exponere licet: id in Decreto concilii Trid. supra citato, expresse vetitum est.

4° In ecclesiis ubi insignis alicujus sancti in Martyrologio notati asservatur reliquia, v. g., caput, brachium, crus, aut alia pars corporis in qua passus est martyr, modo sit integra, non parva, nec simpliciter notabilis, et legitime ab ordinario approbata, officium illius sancti debet esse duplex et semper dicitur *Credo*; non item ad missam ejusdem sancti in aliis ecclesiis alio titulo dicendam, nisi solemniter celebretur. Sic S. Congr. Rit. in pluribus decretis a *Merati* citatis.

Idem dicendum est si habeatur reliquia insignis alicujus sancti in Martyrologio non inscripti, sed vere canonizati, sive expresse, sive modo antiquo, cujus recitatur officium et dicitur missa a tempore immemorabili.

Reliquia insignis asservari non potest apud privatum, nisi magnus sit princeps aut prælatus, nec in oratoriis privatis, sed tantum in ecclesiis, cum expressa episcopi recognitione et approbatione etiam pro ecclesiis exemptis.

5° Reliquiæ privatim habitæ vel spectatæ ab omnibus licite, modo reverenter, tanguntur: publice vero expositæ vel exponendæ, præsertim reliquiæ S. Crucis aut S. Coronæ spuarum, a solis presbyteris aut diaconis tangi, deferri aut exponi debent, idque cum duobus saltem lu-

minariis et incenso. Sanctorum etiam reliquiæ super altare expositæ vel exponendæ, cum stola inter acolythos lumina gestientes deferendæ sunt, ut docet *Merati*.

Non exponendæ sunt in altare, ne quidem per modum ornamenti, ubi SS. exponitur Sacramentum, ex decis. S. Rit. Congr. diei 2 sept. 1741. Nec unquam ponendæ sunt *supra tabernaculum in quo recondita asservatur sacratissima Eucharistia*. Sunt verba *Gardel*. in Inst. Clementis XII, p. 23. Hæc dispositio generalis extensa est ad reliquias sanctæ Crucis, a fortiori ad statuas et imagines sanctorum.

6° Solemnis translatio fieri non potest nisi reliquiarum saltem notabilium ab episcopo recognitarum et cum ejus approbatione. Ejus est caeremonias translationis determinare. Vide *Bened. XIV*, de Canoniz. l. 4, p. 2, c. 6, n. 3, et *Catal.* in Ritual. Rom., t. 2, p. 287. Alia de reliquiis tradentur in tractatu de *Præceptis Ecclesiæ*.

§ X. — Campanæ in ecclesiis.

1° In primis sæculis, tempore persecutionum, credibile est Christianos secreto monitos esse per diaconum aut per alium virum ab episcopo designatum ut ad ecclesias convenirent; vel forsitan, ubi persecutionis æstus sedabatur, per aliquod sensibile signum, v. g., sono cornu aut tubæ, de quibus fit mentio in regula S. Pachonii, vel strepitu tabellarum liguearum malleo percussarum, quibus nunc adhuc utuntur Græci in Turcia degentes; usum enim campanarum Turci non permittunt Christianis.

2° Si fides adhibeatur *Durando*, l. 1, cap. 4, n. 1, quædam inventa sunt vasa ænea resonantia in Nola, civitate Campaniæ: unde majora dicta sunt *campanæ*, a regione Campaniæ, et minora appellata sunt *nolæ*, a civitate Nola.

Campanarum institutio communiter tribuitur S. Paulino Nolensi episcopo, circa medium quinti sæculi defuncto: at *Card. Bona*, l. 1, cap. 22, n. 3; *Bened. XIV*, Inst. 20, et alii merito notant illum S. Pontificem, ecclesiam a se exstructam per singulas partes describentem, in epist. 12 ad Severum, de campanis et turri campanarum

omnino silere; unde concludendum videtur campanas ipsi adhuc fuisse ignotas.

3° Plures alii earum inventionem vel primum usum Sabiniano, in initio septimi sæculi summo Pontifici, attribuant; sed in Vita S. Columbani, sexto sæculo exarata, legitur cum cæterosque monachos e somno, *pulsante campana*, excitatos, ad templum media nocte se contulisse.

4° Primus tamen qui expressum habuit sermonem de campanis fuit venerabilis Beda, sub initio octavi sæculi: multi itaque usum illarum ad septimum sæculum referendum esse censent, licet earundem aliqua notio prius jam habita fuerit. Primum quædam habebantur instrumenta ferrea vel ænea, quæ manu tenebantur, et agitata, resonabant tinnitu, *tin tin*, et idcirco tintinnabula vocata sunt: eis successerunt campanæ quibus, ut sonus earum longius emitteretur, postea erectæ sunt turres cum cacumine, in cuius summitate plantatur vexillum cruceis, ad significandum ædificium Christo esse dicatum, et locatur communiter gallus æneus aut ligneus, non solum ad directiones ventorum indicandas, sed ut fidelibus et pastoribus sit vigilantiae symbolum, eosque e somno peccati sonitu campanæ excitatos, moneat ad ecclesiam properandum esse.

5° *Baronius* refert, ad ann. 968, t. 16, Joannem XIII campanam benedixisse et consecrasset antequam in turri Lateranensis ecclesiæ collocaretur, et hunc ritum in Ecclesia perseverasse: verum Capitularia Caroli Magni, ducentis circiter annis antiquiora, campanarum benedictionem memorant, et in Ritualibus Joanne XIII antiquioribus benedictio campanarum describitur, ut ostendit *P. Menard*, n. 587, ad Sacram. S. Greg.

6° Quoniam in hac benedictione adhibetur aqua benedicta, campana lavatur, oleo infirmorum et sancto chrismate ungitur, nomen ei imponitur, hæc cæremonia vulgo dicta est baptismus; quod vocabulum Ecclesia nullibi approbavit, sed tolerat in simplicibus, modo caute erudiantur hujusmodi campanarum consecrationem nihil habere sacramenti aut sacramento Baptismatis simile, nisi in quibusdam ritus externi circumstantiis.

7° Campanæ, antequam in campanili collocentur, benedici et consecrari debent ab episcopo diœcesano, qui facultatem hanc benedictionem faciendi simplici presbytero delegare non potest, ex decreto S. Congr. Rit. 19 april. 1687; quia unctio quæ debet fieri cum oleis, est ordinis episcopalis: talis igitur delegatio Sedi Apostolicæ reservatur, et qui indultum obtinuit, alium subdelegare nequit; *Ferraris*, v° *Campana*, n. 8. Ex usu tamen in Galliis recepto, solent episcopi simplices sacerdotes ad benedicendas campanas committere, idque formaliter agnoscit *Romsée*, sine restrictione locorum.

8° Privilegio benedicendi campanas gaudent abbates alique prælati usum pontificalium habentes, pro solis ecclesiis sibi subditis, ut expresse declaravit S. Congr. Rit. 5 aprilis 1620; *Ferraris*, v° *Campana*, n. 13.

9° Campanæ ob varios fines pulsari solent, nempe 1° ut fideles ad ecclesiam conveniant; 2° ad laudandum Deum, v. g., infra consecrationem in missa solenni, ut sanctissimum adoretur Sacramentum, infra processiones, hymnum *Te Deum*, hymnum angelicum in feria V in Cœna Domini et sabbato Sancto; 3° ad annuntiandam mortem fidelium sono lugubri, ut residui pro illis orent; 4° ad excitandam in animis lætitiâ: inde major earum sit percussio in magnis festivitibus; 5° ad depellendos morbos, tum corporales, tum spirituales; ad dissipandas turbines et tempestates, quod in earum benedictione sic petit minister: « Ut cum melodia illius auribus insonuerit populi, » procul pellantur omnes insidiæ inimici, fragor » grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum, » temperentur infesta tonitrua, ventorum flamina fiant » salubriter ac moderate suspensa, etc. » Prudentia tamen suadet ut ab earum pulsatione absteineatur, dum tonitru terræ vicinum est, quia vibrationes aeris illud attrahere possunt.

10° S. Cong. episc. et regul. anno 1581 expresse decrevit campanas consecratas, etiam in profana turri existentes, usui profano inservire non debere, etiamsi ad hunc finem a sæcularibus fabricatæ prætenderentur: attamen

in praxi receptum est ut in signum lætitiæ communis, v. g., dum quis insignis ad dignitatem ecclesiasticam aut civilem promovetur, ad nativitatem principis, ad diem natalitiam regis, ad celebrandam victoriam, etc., pulsantur; vel ad congreganda membra communitatis in casu incendii, inundationis, hostium invasionis, etc., quia in his atque similibus casibus aliquod existit motivum spirituale, nempe bonum societatis, opus charitatis, etc. Id vero non liceret si de privatis negotiis ageretur, et lex civilis 8 april. ann. 1802 (18 *germinal an X*), articul. 43, agnoscit eas ad convocandos fideles esse destinatas, et propter alium finem non pulsandas, nisi ex politiæ localis consensu; supponendum et ex consensu parochi, ut ostendit D. *Affre*, *Traité de l'administration temporelle des paroisses*.

11° Sonus campanarum, ex antiquo usu feria V in Cœna Domini suspenditur, ad significandum discipulos Christum dereliquisse; et, ex Constitutione Leonis X incipienti *Dum intra*, pluribus S. Cong. Rit. decretis ac Bened. XIV, Inst. 20, non pulsandæ sunt sabbato Sancto in ecclesiis tam regularium quam sæcularium, antequam campanæ ecclesiæ cathedralis, vel matricis, vel parochialis defectu cathedralis aut matricis, sonuerint, propter honorem principali ecclesiæ debitum: unde si duæ ecclesiæ in eodem loco pari honore gauderent, alternis vicibus primatum sonitus habere deberent, ut expresse *Bened. XIV*, loco citato, docet.

§ XI. — Aqua benedicta ad ecclesiarum januas.

*Nota.* Triplicis generis distinguitur aqua benedicta; nempe 1° aqua baptismalis, quæ fit cum sancto chrismate, sabbato Sancto et vigilia Pentecostes; 2° aqua Gregoriana, a Gregorio IX pro consecratione et reconciliatione ecclesiarum præscripta, nec non pro consecratione altarium, quæ fit cum sale, cinere et vino, a solo episcopo; 3° aqua simpliciter benedicta ad aspersionem hominum et rerum, quæ a sacerdote cum immixtione salis benedicatur. De ea sola hic agitur.

1° Usum aquæ benedictæ ab Apostolica traditione pro-

fectum et in Ecclesia semper observatum esse docent *Baronius*, ad an. 132, n. 3; *Bona*, l. 1, cap. 20; illius mentionem faciunt *Tertull.*, *S. Cyp.*, *S. Epiph.*, *S. Ambr.* et auctor *Const. Apost.*, l. 8, cap. 29; formam illam benedicendi describit *Micrologus*, cap. 46; institutionem ejus tribuit *Alexandro I*, pontifici maximo, anno 119 defuncto.

2° In medio vestibuli ecclesiarum primitus erant aquæ salientes, vel putei, canthari aut conchæ, in quibus Christiani templum ingressuri manus et os lavare solebant, ut sic purificati, loco sancto, divinis rebus et sacra communione, quam manu accipere solebant, digniores essent: hanc existisse consuetudinem testantur *Eusebius*, *S. Paulinus*, *S. Chrysost.*, etc. Inde natus est usus aquam benedictam ad januas ecclesiæ collocandi, ex illa sumendi, se signandi, etc.

3° Hinc etiam 1° mos antiquus quem *Udalricus*, in undecimo sæculo vivens, longe describit apud *P. Martène*, aqua benedicta singulis diebus dominicis, ante missam solemnem, aspergendi altare, clerum et populum (*Chuniaci* plura aspergebantur altaria). 2° Eodem fine aspergi solent objecta benedictione sanctificanda, ut ab eis omnes immunditiæ pellantur. 3° Cadavera defunctorum, eorum tumuli et sarcophagi similiter asperguntur, ad expellendos dæmones, ne eis illudant, orationes viventium impediunt, et in symbolum desiderii quo illorum animam cœlesti rore aspergi optamus. Sic *P. Cavaleri* apud *Ferraris*, v° *Aqua bened.*, n. 5. 4° Item in monasteriis aqua benedicta spargitur vespere super fratres et sorores, in eorum dormitorium et lectulos, ut videri potest apud *Martène*. Aliquid simile pii fideles et clerici facere consueverunt, seipsos et lectum aqua benedicta tingendo, ante dormitionem, ut caveantur nocturna phantasmata: similiter et mane surgentes eadem aqua se perfundunt, crucem in fronte signantes, juxta veterem consuetudinem, cujus meminit *Martène*.

4° Nullibi autem reperimus morem aliquando existisæ ut e templo egredientes aqua benedicta se muniant, sicut

ingrediendo fecerant, quanquam id contra externas tentationes utiliter fieri possit.

5° Aquæ benedictio quibusque dominicis diebus, exceptis dominicis Paschæ et Pentecostes, facienda est, ut ex Missali Romano colligitur *Gavantus, Merati, Ferraris*. Id jam fieri consuevisse, juxta canones, testatur *Micrologus*, cap. 49, et idem præscribit *Rituale nostrum* parte secunda. Si sanctissimum exponatur Sacramentum, juxta *Missale nostrum*, benedictio aquæ fit in sacristia.

6° Hæc benedictio est sacerdotalis; a clerico inferiori fieri non potest, et sacerdos excommunicatus aut suspensus eam faciens, fieret irregularis; *Ferraris, v° Aqua benedicta*, n. 4.

7° Aspersio aquæ benedictæ nunquam omittitur diebus dominicis, ut expresse habent *Gavantus* et *Merati*, et *Missale Romanum* evidenter supponit: per ipsum facienda est celebrantem alba et stola cum pluviali coloris diei indutum, etsi in prima dignitate constitutum, non obstante contraria consuetudine, quæ potius corruptela quam consuetudo dici debet, cum sit contra rubricas *Missalis* et dispositionem *Cæremonialis episcoporum*, l. 2, cap. 30; *S. Cong. Rit.* 27 nov. 1632 et 16 nov. 1649.

8° Episcopus tamen celebraturus aspersionem non facit, sed ejus loco simplex sacerdos cum superpelliceo et stola; sic, referente *Gavanto*, statuit *Greg. XIII*, 30 decembris 1573, et *Cæremoniale episc.*, l. 2, cap. 31, dicit, episcopo solemniter celebraturo, aspersionem omittendam esse. Sic etiam habet *Missale nostrum*.

9° Non aspergitur altare in quo sanctissimum expositum est Sacramentum, ut expressis vocibus asserit *Gavantus*; sed aliæ consuetæ fiunt aspersiones.

10° *S. Congr. Rit.*, die 26 nov. 1605, decrevit canonicos singulatim aspergendos esse, incipiendo ab iis qui sunt in cornu dextro, non vero unico ictu in circulum; ipsum præsentatur aspersorium episcopo, manum ejus osculando. Cæteri per ictum circulosum asperguntur.

11° Episcopo ad ecclesiam accedenti præsentandum est

aspersorium, non a vicario generali aliave dignitate eum comitante, sed a paroco vel a digniore illius ecclesiæ, vel a capellano, si de capella agatur, et non a paroco in cujus territorio existit capella, ut diserte ostendit *Benedictus XIV*, *Inst.* 105, § 128.

12° Dicta *S. Rit. Congr.* declaravit, die 7 junii 1704, gubernatori civitatis, et a fortiori alteræ dignitati civili, judiciali aut militari eo superiori, ad ecclesiam accedenti, præsentandam esse aquam benedictam per aspersorii contactum, non vero per illius traditionem.

13° Ad consequendos effectus aspersionis, non requiritur ut aqua benedicta res aut personas physice tangat; contactum moralem sufficere docent *Quarti* et *Ferraris*, si personæ ad quas dirigitur aspersio eam aliquo signo externo, v. g., inclinatione, signo crucis, acceptent; vel, ubi res inanimatæ benedicuntur, si aspergens intentionem suam ad omnes dirigat, tunc illæ ad quas aqua sanctificata non pervenit physice, nihilominus sunt benedictæ.

14° Aquam benedictam in usus profanos convertere ex contemptu, peccatum est mortale: citra contemptum, v. g., ad humectandum atramentarium, juxta quosdam esset duntaxat peccatum veniale, quia ipsomet usu profano hæc aqua benedictionem suam amitteret; juxta alios non rigidiores, peccatum foret mortale, propter gravem indecentiam ac irreverentiam. Eamdem aquam ad usus evidenter superstitiosos scienter adhibere, peccatum procul dubio mortale esset.

## ARTICULUS SEXTUS.

### DE ALTARI ET EJUS ORNAMENTIS.

#### § I. — De altari.

1° Altare sic vocatur ab *altitudine*, juxta plures auctores, et nomen sortitur ab antiquis ethnicis, qui sacra in ædificiis a terra elevatis faciebant diis superis: juxta alios sic appellatur, quia est *alta res* vel *alta ara*. Sæpe etiam dicitur *mensa*, quia super illud præparatur victima edenda.